uenem sedentem in dextris coopertum stola candida et obstipuerunt. Qui dicit illis. Nolite expauescere. Ihesum queritis nazarenum: crucifixum. Surrexit non est hic. Ecce locus: ubi posuerunt eum. Sed ite et dicite discipulis eius et petro: quia precedet uos in galileam. Ibi eum uidebitis: sicut dixit uobis. Offer. Angelus domini descendit de celo et dixit mulieribus quem queritis surrexit sicut dix. alla.

Suscipe do. Secreta. Sume quesumus domine preces populi tui cum oblationibus hostiarum: ut celestibus initiata mysteriis. ad eternitatis nobis medelam te operante proficiant. Per. Prefat. Te quidem omni tempore. Com. Surrexit dominus et apparuit petro. alleluya. Post com.

Spiritum nobis tue caritatis infunde: ut quos sacramentis celestibus saciasti. tua facias pietate concordes. Per eundem. Missa matutinalis de trinitate. a purificatione beate marie usque ad pascha diebus dominicis.

Benedicta sit sancta trinitas atque indiuisa unitas confitebimur ei quia fecit nobiscum misericordiam suam. Ps. Benedicamus patrem. Oro.

Omnipotens sempiterne deus. qui dedisti famulis tuis in confessione uere fidei eterne trinitatis gloriam agnoscere. et in potentia maiestatis adorare unitatem: quesumus ut eiusdem fidei firmitate. ab omnibus semper muniamur aduersis. Per. Ad rom.

O altitudo diuitiarum sapientie et scientie dei: quam incomprehensibilia sunt iudicia